

## † R. P. Ferdinandus Smits (1869-1939)

(Prov. Holl.)



Die 6 Februari in domo nostra Rosaevallensi R. P. Ferdinandus Smits, qui mense Septembris aureum professionis iubilaeum obiturus fuisset, morte inopinata perculsus est. Cum d. 4 Febr. neque ad meditationem matutinam neque ad Missam pro more suo hora 7 celebrandam apparuisset, mali aliquid suspicati et cubiculum ingressi sensibus destitutum in lecto cubantem invenerunt. S. Oleo inunctus biduo adhuc vixit, nec tamen ad loquelandam rediit.

Defunctus confrater per totam vitam genuinus S. Alfonsi filius fuit, religiosus exemplaris et Congregationis amator. Omnes, quotquot audivi, sine exceptione laudant exactam in eo Regularum observantiam, spiritum orationis et mortificationis, amorem fraternalium, zelum animarum.

Natus est d. 23 Iun. 1869 in civitate Breda, multorum Redemptoristarum patria. De puerili aetate memorandum occurrit, quod inter aequales pietate et tenera praesertim devotione in B. M. Virginem eminebat. Ipse postea narravit, quomodo Sanctorum exempla legere et templa, ubi SS. Sacramentum expositum esset, frequentare in deliciis habuisset; Dei vero Matrem se omnibus modis, precibus, peregrinationibus, imaginum visitatione, parvis mortificationibus sabbato peractis honorare studuisse, immo et missionarii more fratres suos et sorores ad eundem cultum adhortatum esse.

Quam grata haec devotionis signa Deiparae fuerint, facile nobis concire utique licet; sed idem pia coelorum Regina argumento quodam visibili ostendere voluit. Mature nempe Ferdinandus vocem internam ad statum religiosam se vocantem perceperat; cum igitur vires suas animarum derelictarum saluti impendere anhelaret, multis precibus ad caelestem Matrem praemissis votum suum P. Petro Oomen, Provinciae nostrae tunc temporis Superiori, scripto exposuit, petens ut inter alumnos iuvenatus nostri admitteretur. Cum ergo in sanctuario Mariali Kevelaer preces ferventius funderet, ecce illuc litterae admissionis a P. Oomen missae advenierunt. Sic tempus ipsum et locus innuere videbantur, hanc admissionem fuisse munus Divae Matris manu porrectum. Manebat tamen una difficultas. Familia prole numerosa constabat; mortua enim prima coniuge et octo liberis tenera aetate relictis, alterum matrimonium pater inire debuerat, ex quo iterum octo natos suscepit, pueros quatuor, in quibus Ferdinandus, et quatuor puellas, integras omnes praeter unam, quam mente captam pia mater velut crucem a Deo immissam aequanimiter ferebat. Parentes igitur, licet tabernam sumptuariam parvam et satis florentem haberent, studiorum

tamen sumptus ferre non potuisse haud mirum videbitur. Sed divina Providentia et huic difficultati providit nobilem quamdam benefactricem excitando, quae illam partem in se susciperet.

Sic ergo in iuvenatum admissus, et studiorum curriculo, in quo ingenio et pietate pariter splendebat, tam Ruraemundae quam Wittemii feliciter peracto, presbyter factus est d. 15 Oct. 1894 et statim Ruraemundensi iuvenatui destinatus Lector. Postquam tirones per tres annos elementa Linguae Latinae docuit, sequebantur tres alii anni, quibus Magister novitorum clericorum Buscoduci exstitit. Dein a Superioribus ad ministerium apostolicum vocatus, per aliquot annos magno cum animarum zelo missionibus et exercitiis spiritualibus praedicandis incubuit, usquedum anno 1909 Rector domus Rotterodamensis nominatus est. Triennio finito iterum variis in dominibus officio Consultoris vel Admonitoris vel Ministri domus et demum annis 1921–1934 sine interruptione Consultoris Provincialis functus est, tam confratribus quam Superioribus gratus existens et rursus ministerio apostolico, cui aptissimus erat, strenue operam dans.

Erat in eo vox valida, vultus asceticus; totus externus corporis habitus dignitatem quamdam spiribat. Loquens ad Fratres nostros laicos de legis Eucharistiae profanationibus, ipse prorupit in lacrimas. Passionis Domini cultor eximius, multum amabat Crucifixum a S. P. N. Alfonso depictum<sup>1</sup>, quam imaginem commoventem pro viribus diffundebat. Accedebant sermones rite elaborati et pectus faciens disertum. Exercitorum spiritualium tam pro sacerdotibus quam pro laicis moderator eximius erat. Doctrina Sanctorum et magistrorum spiritualium lectione apprime nutritus, monialibus praecipue acceptus erat, quamquam suadendis devotiunculis (puta rosarii quinque vulnerum, servitutis Marianae cet.) nonnunquam minus placebat.

Multae animae piae, quae statum religiosum sive maiorem perfectiō nem in saeculo anhelabant, prudentem in eo conscientiae moderatorem inveniebant. Apud viros S. Familiae sodales, quorum aliquamdiu Director fuerat, eius memoria adhuc in honore est, uti apparuit in eius funere, cui plurimi adesse voluere. Calamo quoque exercitato praeditus libenter et eleganter articulos asceticos scripsit, qui in periodico cui nomen *Thabor* vel alibi vulgabantur.

Quemadmodum apud novitos mortificationi externae nimium pondus attribuisse videtur (quidam enim ex eis valetudinis detrimentum acceperunt), ita et Rectoris iusto severioris nomen sibi adscivit, utpote qui non debitam semper infirmitatis humanae rationem habuisse diceretur. Non genii tamen rigori aut aequitatis defectui, sed timori potius conscientiae

<sup>1</sup> Cfr. *Analecta* 1930, p. 216 ss., 280. — Patris Smits rogatu Commentarii moderator ista scripsit. Desideratur tamen ibi imago Iuranensis omnium antiquissima.

et perfectionis zelo haec tribuere fas est. Quidquid id est, cum ab omnibus vir spectatae virtutis et experientiae haberetur, multi in eo confidebant, eiusque consilium in rebus conscientiae confratres etiam laici libenter inquirebant.

Postremis vitae annis, incipiente iam infirmitate, excursionibus apostolicis valedicere et domi manere debebat. Quamdiu tamen potuit, in ecclesia sive confessionibus audiendis sive concionando libenter auxilio fuit; imo etiam moderamen pii operis, quod a *Circulo Amicorum SS. Sacramenti* audit, in se suscepit.

Exsequiis sollemnibus cum compluribus e civitate presbyteris magna plebis frequentia aderat, ita ut ecclesia nostra ampla fere tota occuparetur. Multi vero Amici SS. Sacramenti et uti iam diximus, multi S. Familiae sodales exuvias mortales defleti Directoris usque ad coemeterium privatum in horto conventuali nostro situm prosecuti sunt. R. I. P.